

tricentesimo sexagesimo primo sexta feria in crastino Symonis et Judae beatorum apostolorum.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Markgrafen (ovales Fussiegel) an einem Pergamentstreifen.

Laus. Magazin (1840) Bd. 18. S. 55 ff. — Riedel cod. dipl. Brand. II. Bd. 2. S. 438 f.

No. 536. 1361. 8. Nov.

*Das Capitel fasst einen Beschluss wegen Verfolgung derer, welche einzelne Glieder desselben, Vicare oder andere Kirchendiener berauben oder sonst schädigen oder beleidigen.*

In nomine domini amen. Licet per sacrorum canonum et legum conditores contra oppressores, spoliatores ac personarum et rerum ecclesiasticarum invasores sufficienter sit provisum, nec non per statuta provincialia invasores huiusmodi certis poenis puniri iubeantur, tamen quia defectus expensarum et sumptuum executionum canonum, legum et statutorum huiusmodi retardare, immo impedire quam plurimum reperitur, quamobrem nos Johannes praepositus, Theodericus decanus totumque capitulum ecclesiae Misnensis videntes ecclesiam nostram variis oppressionibus spoliis iniuriis et violentiis per nobilium, advocatorum ceterorumque tyrannorum insultus diversimodos nimium praegravari, volentesque eiusdem ecclesiae nostrae incommodis, ipsius non modica utilitate pensata, quantum possibile est consulere, infra scripta certo super hoc capitulo indicto, de unanimi et concordi omnium nostrorum voluntate et consensu ad instar statuti duximus ordinandum. In primis si aliquem de cetero ex praelatis, canonicis, vicariis seu aliis ecclesiae nostrae personis invadi spoliari seu molestari vel offendi per quempiam contigerit, in persona vel in rebus ad ipsam ecclesiam nostram pertinentibus, is proponat coram capitulo nostro invasionem spolium iniuriam vel offensam et de eius consilio vel maioris et sanioris partis ipsius, vel si capitulum discordaret, ita quod essent aequales partes numero, ipsius utrobique in consilio huiusmodi faciendo, extunc de consilio partis quae maiorem numerum seniorum in ordine canonicorum haberet, prosecutionem huiusmodi iniuriarum spoliorum invasionum violentiarum et oppressionum debet instaurare et prosequi, ac compositionem satisfactionem et emendam recipere secundum capituli seu partis maioris et sanioris numerum iuxta modum praemissum facientis consilium et decretum, et ab huiusmodi prosecutione desistere, quando ipsis videbitur desistendum. Quod si facere renuerit, ex tunc in poenam ipsius poterit cum invasoribus oppressoribus et spoliatoribus huiusmodi capitulum eo excluso et in hoc casu penitus derelicto componere et amicabiliter concordare seu alias prosequi, prout sibi visum fuerit expedire, eo tamen salvo, quod capitulum huiusmodi iniuriatum in executione mandatorum suorum superiorum et iudicum non dimittat, consiliis vero et favoribus quantum bono modo poterit prosequatur. De expensis vero per capitulum ad huiusmodi ministrandis taliter ordinamus, quod is, qui se iniuriatum spoliatum oppressum vel invasum asserit et proponit, expensis propriis huiusmodi suam iniuriam, spolium invasionem offensam seu violentiam iuxta consilium capituli ut praemittitur debet instaurare et prosequi tamdiu et